



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 86. Sanctissimæ Triadis invocatio ad Sermonum initium consueta a Gregorio Pauli prohibita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

culis suis eo liberius hunc articulum impugnant.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

§. LXXXVI.

*Santissimæ Triadis invocatio ad sermonis initium consueta a Gregorio Pauli prohibita.*

Hoc igitur decretum non modo præ ceteris prior sequebatur, sed etiam ex suo cerebro eidem plura addebat Gregorius Pauli Cracoviensis Minister, atque in minori Polonia Ecclesiarum, ut vocant, Superintendens; quippe de Santissima Trinitate, Essentia divina, aliisque articulis non modo Philosophorum more differebat, sed etiam hæc mysteria penitus supprimebat: cum enim ad populum diceret, ordine suo novum Testamentum prælegebat, & nonnisi glossas, commentarios, paraphrases, ac morales animadversiones, si forte libuit, addebat, necnon pro auctoritate, quam sibi in spuris reformationis Synagogis tanquam Superintendens arrogabat, cunctis suæ jurisdictionis Ministris prohibuit, ne ad Concionis initium Santissimæ Trinitatis nomen pronuntient, multo vero minus illam invocent.

Hæc novitas inter prætenfos Reformatores haud leves suscitabat tumultus, atque inter ceteros Sarnicius

*Hist. Eccles. Tom. XLV. C c c Lu*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

Lutheri sectæ addictissimus, necnon fer-  
vidus Mysterii Sanctissimæ Trinitatis  
defensor, palam Gregorii Pauli, cui  
suam dignitatem invidebat, agendi ra-  
tionem damnabat: ut vero charitatis,  
ac decentiæ leges suo odio minime  
transgressus videretur, eundem rogabat,  
ne ejusmodi novitatibus recens ad-  
ventis Christi Ecclesias contaminaret,  
sed populos juxta receptum morem in-  
strueret, atque Apostolorum Symbolum,  
& articulos a fidelibus unice creden-  
dos, non vero Novi Testamenti textum  
figillatim, ac per claras Paraphrases  
explicaret. Gregorius, cum inge-  
nio arrogans ob suam Superintenden-  
tis dignitatem se in Ecclesiis suis sum-  
ma auctoritate valere crederet, hæc  
monita flocci habuit, eodemque pede,  
quo cœpit, progressus est: itaque Sar-  
nicius, cum se tantopere vilipensum  
cerneret, odio in eum accensus illum  
coram Cracoviensi Magistratu accusa-  
bat, quod Arii hæresin propugnaret, ac  
Serveti erroribus faveret.

§. LXXXVII.

*Alia Socinianorum Synodus Rogovi  
habita.*

*Lubien. l. v.* Mense Julio eodem anno, cum Bona-  
rus ambos hosce Ministros recon-  
ciliare desperaret, Stanislaus Szefrane-  
cius